

IO. GOTTL. HEINECCII

FUNDAMENTA STILI CULTIORIS.

NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS

IO. MATTHIAE GESNERI,

ET

IO. NICOLAI NICLASII

LOCUPLETATA.

NOVA EXEMPLORUM SYLLOGE

HAC EDITIONE AUCTA.

Es de la Libreria del Sr. D. Joaquin de Salamanca



MATRITI. MDCCLXXVI.

Apud IOACHIM IBARRA S. C. R. M. Typographum.

SUPERIORUM PERMISSU.


AUDITORIBUS SUIS PEREXIMIIS

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIUS.

QUAE adhuc calamo vestrum haud pauci exceperunt, *cultioris stili fundamenta*, ea iam typis exscripta vobis offero, auditores, sed secundis perpolitata curis, variisque hinc inde animadversionibus locupletata. Multae sunt, quae mihi id consilium extorserunt, rationes, quas a vobis non ignorari, mea haud parum interesse arbitror. Quum beatissimus, atque immortalis gloriae princeps, FRIDERICUS, rex Borussiae, publicum docendi munus in illustri hac academia mihi decrevisset, eo potissimum consilio id se facere professus est rex sapientissimus, ut iis, qui se politioribus litteris consecrasset, viam, qua ad pulcherrimam istam laudatissimamque doctrinam possent pervenire, monstrarem. Quam bene de studiosa iuventute merendi occasionem tametsi mihi tunc, nescio, quae, praeriperet invidia: tamen, ex quo potentissimus rex, FRIDERICUS GUILIELMUS, publice docendi provinciam mihi imposuit, dandam mihi operam, existimavi, ne nullum ex illa beatissimi principis voluntate fructum caperetis. Quare non temere ullum praeterire passus sum annum, quin tersae ac cultioris Latinitatis praecepta selectioribus ingeniis traderem, eaque non solum explicarem adcurate, verum etiam exemplis luculentissimis illustrarem. Quo in opere institutoque pulcherrimo, sextum iam

orationem. Philosophiam etiam esse humanioris doctrinae par-



FUNDAMENTA

CULTIORIS

LATINITATIS.

PROOEMIUM.

I.

Duo potissimum in Latinae orationis cultu cavenda sunt elegantiorum †) litterarum studiosis. *Alterum* ne auribus sint tam agrestibus atque impolitis, ut omnem orationis nitorem, atque elegantiam, tamquam rem inanem, ac supervacuum omnino negligendam esse existiment *). *Alterum*, ne per omnem vitam id unice agant, ut quasi calamistris intorqueant orationem, eique colores adscititios tamquam fucum, inducant **).

Duo extrema in latinitate cavenda.

†) (Ergo nec esse sordidi, nec sordide tractari debebant earum cultores. *Humaniores* dicuntur, quia eas res augent & poliunt, quibus *homines* differunt ab animalibus, rationem &